

nem fuisse tradit *S. Doctor* in epistola ad Fidum. *S. Augustinus* vero lib. 10. de *Genesi* ad litt. c. 23. de hac vetulta consuetudine baptizandi parvulos hæc scribit: *Consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditione.* Apostolicam autem esse Traditionem diserte affirmat *l. 1. de bapt. c. 26.* Et lib. 4 contra *Donatistas* c. 23. Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certe nondum possunt corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit: quin etiam flendo, & vagiendo, cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, & tamen nullus Christianorum dixerit, eos inaniter baptizari. Idem constat ex ep. 4. *S. Damasi Papæ*: *Chorepiscopo non licet presente Episcopo infantem tingere, aut signare.* Hæc omnia satis aperte declarant paedobaptismum Traditioni non esse contrarium, cum ab ipsa Apostolica Traditione constet, esse profectum, ut etiam innuit *Canus l. 3 c. 4.*

§ XVIII. Probatur tertia pars. Ecclesiæ Patres uno eodemque sensu, ut verbis utamur *Vincentii Lyrinensis*, quem immerito carpit audacissimus *Ioannes Dallæus*, manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi Magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo Apostolicam Traditionem de parvulorum Baptismo firmaverunt; summa igitur impudentia est, paedobaptismum Patrum auctoritati contrarium asserere. Re enim vera pro Apostolica Traditione, §. XIV. exposita, sicut ex Græcis Patribus *S. Irenæus l. 2. c. 39.* *Origenes hom. 8. in Leviticum*, & 14. in *Lucam.* *S. Gregorius Nazianzenus or. 40. in Sanctum Baptisma.* *S. Joannes Chrysostomus hom. 40. in Genesim*, *Theodoreetus in Epitome divinorum decretorum de Baptismo*, & alii. Ex Latinis vero *S. Cyprianus ep. 59.* *S. Ambrosius lib. 10. ep. 84.* & *de Mysterio Paschæ c. 5.* *S. Hieronymus ep. 7. ad Latam.*, *S. Augustinus ep. 28. ad Hieron.*, & alii plures, quos enumerare longum foret nimis, & molestum.